

IOANNIS MICHAELIS
BRVTI IN ANDREAE DV-
DITII V. C. COMMENTARIVM DE CO-
META, AD AMPLISSIMVM VIRVM NICOLA-
um Mieleczkium, Palatinum Podoliensem,

P R Æ F A T I O.



*H*ic dimus, Amplissime vir, tuo nomini in-
scriptum, Andreæ Duditij, summi homi-
nis, atque eruditissimi, de stella crinita
commentarium: quem ille elegantissima
Epistola ad Iohannem Cratonem est
complexus, hominē, cum multis alijs summæ necessitudi-
nis officijs illi coniunctū, tum omni genere doctrinæ recon-
ditioris perpolitum. Multis verò nominibus doctis homi-
nibus expetendum emittere, hoc tempore, in lucem con-
stituimus.

Nam & eo argumento est, vt multa doceat, quæ in
primis conducant hominum vitæ, & ijs est refertus lumi-
nibus orationis, atque ornamentis, vt magna eadem cum
voluptate doceat. Itaque cum ad vsum, qui est maximus
legentibus futurus, accedat voluptas par, id quod paucis
vsu venire animaduertimus, & omnibus in scribendo pro-
positum est, vere ille plane omne punctum tulisse videa-
tur. Refutat enim vulgo mathematicorum vanitatem,
qui magno populorum incommodo, nimis iniusto præmio
leuissimæ rei, inanem gloriam, & diuinitatis opinionem
apud imperitam multitudinem venantur, ijs prædicendis,
quæ alte abdita in vastissimos diuinæ mentis recessus ob-